

Bibliothèque numérique

medic @

**Didier, Henri Louis François -
candidat / Levacher, François
Guillaume - président. - De ani
imperforatione**

1765.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2343, n°9



D. O. M.

DE ANI IMPERFORATIONE.


T H E S E S

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

INTER varios quibuscum nasci solet flebilis infantia partium defectus, nullum fortè reperias Ani obturatione periculosiorem. Quamdiu fœtus materno degit in utero, secretum in ore, ventriculo, & intestinis mœconium, ad ultimum *recti* terminum lenissimo congeritur affluxu; sed recens nato innumera, si foràs egeri nequeat, cudere solet incommoda; vitamque miser infans morte non dubiâ venalem exhaustit. Præter mœconium enim alvinæ fœces, nutrimentorum reliquiæ, quibus alitur statim atque natus est, concumulatæ, foræ, & loci calore patridæ, ita omnem intestinorum fistulam replent, inflantque, ut rotum quam latè patet, abdomen immane turgescat, unde

A

I



coarctatis in angustum respirationis organis, omnes omnino functiones in infantulo conturbantur. Hinc, veluti gravidâ de nube grando, tusses videas & singultus ingruere, tormina, cum vomitibus nauseas, clamores, partes insolenti punctas acredine convelli, sternutamenta, fletus, pervigilia, febres, maciem, quibus præter mortem nullum natura finem impositura sit, nisi præsentius afferat Chirurgicas artes benè docta manus auxilium. Quales ergò mali species sint, quæ causæ, quantum in nobis erit, qualia symptomata, quæ prognosis, qui tandem in eo curando modus, pro speciebus habendus hîc evolvere fert animus, postquam tamen ea pro more solito describerimus Anatomicè, quæ ad noscendam morbi sedem certiora esse judicantur.

EX ANATOMIA.

ANUS finis est intestini recti, quo fœces alvi foràs amandantur. Ibi annotantur cutis, pinguedo, muscoli, vasa, & ipsius intestini extremitas. Cutis utcumque firma, pluribus cryptis cutaneis instruitur, & sebum in eâ parte non paucum excerni consuevit. Multâ quoque pinguedine cingitur Anus, ut in fœcum ejectione facilius dilatari queat. Jam verò tres, ut plurimum, musculos ad Anum pertinentes agnoscunt Anatomici. Quorum princeps *Ani sphincter* audit, duo verò alii *Ani levatores* vocantur.

Ex imâ ossis coccygis parte, & cute huic subjectâ sphincter originem ducit; cujusquidem fibræ à se invicem discedentes Anum utrinque ambiunt, indèque ascendentes anteriùs, musculis acceleratoribus urethræ bulbum investientibus, versùs infimam bulbi hujus partem, in viris inferantur; in fœminis verò, versùs imam vaginæ portionem affigantur. Intereà notandum est non paucas hujusce musculi fibras ab interiori & inferiori pubium parte, propè syncondrosin utrinque descendere, & figurâ quasi ovatâ extremum recti ambire, atque constringere. Musculum hunc celeberrimus Albinus in internum & externum distinguit, notatque Heisterus circulares aut annulares fibras, quæ vulgò sphincteri adscribuntur, vix, aut paucas observari.

LEVATORES duo, sunt expansiones quædam musculosæ, tenues, latæ, fundum abdominis constituentes.

Ab internâ pubium parte, tunicâ obturatoris interni, in-

3

ternâ ossis ilei facie, & acuto processu ischii utrinque nascuntur. Horum-ce musculorum fibræ, radiorum instar, à peripheriâ ad centrum pergunt versùs sphincterem, atque in eâ parte intestini recti quæ postica est, coeunt, ipsum intestinum cingunt, collumque vesicæ, prostates & vesiculas seminales in viris, in fœminis verò vaginam uteri simul includunt. Indè ad supremam posticamque sphincteris partem, partim ascendunt; cum sphincteris ovatis annularibusque fibris partim proprias fibras confundunt.

PUDENDA communis arteria, arteriam hæmorrhoidalem præbet, quæ sanguinem Ano profundit. Excipit hunc, vena hæmorrhoidalis externa ipsumque in hypogastricas, sive iliacas internas fundit. Parti nervos ministrant plexus hypogastrici per utrumque utriusque nervi intercostalis ganglium.

E X C H I R U R G I A.

Sic sese habet naturalis Ani fabrica, ut residuum ingestorum liberè demittat, possitque deinceps mediantibus musculis, constringi & elevari. Ubi ergò foramen illud contrà naturam occluditur, mirum non est quòd sævissima quæque mala indè consequantur. Porrò sæpissimè accidit ut recens nati id vitii genus patiantur, quo mæconium & fœces maturo tempore dejici non possint, quia Anus clauditur. Tales verò vocantur vulgò *imperforati*, sive *atreti*, gallicè *imperforés*, vitiumque istud *Ani imperforatio*.

JAM verò non iisdem eodem modo Anus obturatur. Plerumquè contingit, ut membranâ præter naturali coërceantur intùs infantis excrementa, membrana que illa diversa esse potest tum crassitudine, tum situ, prout nempè altiùs demissiusvè in intestino recto collocatur. Neque rarò videas hujusmodi fœtus editos, in quibus pars quædam ipsius intestini recti, vel maxima desit; aliàsque, id quod frequenter observant, intestini loco, tendineus quasi quidam Cylindrus apparet, remanente quolibetcumque Ani vestigio (a). Quandoque etiam intestinum in duas partes dividitur, & utrumque extremum impervium est, quemadmodum refert celeberrimus Littre (b). Major ubi deest omninò intestini recti portio, nullum datur Ani vestigium, nulli sphincteres elevatoros nulli. Quandoque

(a) M. Levret, Art des Accouchemens, p. 234.

(b) Académie des Sciences 1710, Hist, p. 47.

4

quod de intestino superest, in vesicam apud masculos, & in uteri vaginam in sequiori sexu hiare animadvertitur.

PRÆTER autem illas quas hîc memoramus imperforationis species & differentias, non defuerunt autores qui diversam aliam admiserint, in quâ intestini membranæ interiores secum invicem coalescere existimant; unde vitium istud *coalescentiam* vocant, & in adultis locum habere autumant. Verùm *Dionisius* (a) & alii scriptores, morbum hunc fieri non posse arbitrantur. Nec immeritò sanè, cum excrementorum folita dejectio, frequentioresque, quas assiduè crearent mali causæ, evacuationes, coalescentiam prorsus impedirent, perpetuè deleterent.

CÆTERUM morbi diagnosi non admodum difficilis censetur. Ubi natus est infans, mæconium solet exire sponte propriâ, si non statim, paucissimis saltem post nativitatem horis; tuncque clarè noscitur intestinum rectum ritè perforari. Non attamen illud impedire debet quominus exploretur, an omnes excretionum viæ liberæ sint in infante. Quod si per ineuriam Ani occlusio prætermittitur fuisse, secundo, tertio, quarto à nativitate die oriri solent accidentia, quæ à retento mæconio nasci consuevère; undè res clariùs innotescit. Liquor in abdomine contentus sensim accumulatus, perpetuèque ad-auctus, per moram & calorem mirum in modum acescit vel putrescit, tum in tenues resolutus moleculas per universam intestinorum fistulam sese expandit, unde atrocissimi dolores in intestinis misellum infantem excruciare incipiunt. Vomitus indè enormes & singultus, quos universæ omnium ferè partium convulsiones comitantur; tussis etiam & sternutationes crebræ, clamores perpetui, fletus & pervigilia, terrores, febris, præsentissimam mortem nuntiantes, attentum minime fallent Chirurgum. Inspecto igitur Ano, res facillimè detegitur. Attamen si, quod aliquoties contingit, membrana rectum occludens aliùs in intestino cohæreat, diagnosi incertior evadit; sed injecto in Anum, tunc apertum apparentem, clysmate, vel immisso digito, stilove quolibet crassiori, membrana faciliùs deprehendetur.

Quod ad prognosim attinet, etsi gravissima quæque mala minatur quælibet Ani imperforatio, non idem tamen ubique discrimen adesse dixeris. Ubinamque membrana tenuis fora-

(a) *Dionis* Trait, gén. des Accouchemens, C. VI. pag. 383.

5

men præcludit, sive extus sive intus, modò illam Chirurgus possit attingere, & instrumento secare, nihil omninò periculi est; peractâ operatione, retenta excrementa facillimè prodibunt, sospesque infans protinùs exiturus est. Si membranâ Anus obturatur crassiori, non ideò plus metuendum est, cum instrumento acutiori æquè dividi queat. At verò cum portio quædam intestini recti, vel cum ipsum intestinum totum deficit, nullam prorsus spem fore pater, ut ars naturæ suppleat. Ideòque misello certò moriendum est, quemadmodum asserit cum cæteris scriptoribus M. Levret (a). Judicium fermè idem non immeritò de illâ obturationis specie tuleris, in quâ canalis loco, tendineus tantùm apparet Cylindrus, cum in illo casu intestini cavitas ad Anum usquè rarò protendatur. Ubi quoque in vesicam vel in vaginam aperitur intestinum, nullam potest Chirurgus medelam promittere. Superesse quidem poterit infans, si fœmina sit, mari autem certa mors instat, quemadmodum exempla minimè falsa testantur (b).

IN quâcumque Ani occlusionem generaliter indicatum demonstrat Therapeia, primùm retentis excrementis exitum præbere, deindè efficere, ut via pateat usquè, ad usus naturales opportuna: atqui varia sunt, pro vario occlusionis genere, media, quibus exitus ille parandus est. Illud quidem primùm sedulò tenendum est, quod semper, quantum fieri potest, in eâ parte secandum sit, ubi Anus ex naturæ instituto esse debuerat. Hoc verò deindè præsentissimum menti habere Chirurgus debet, ut operationem quàm tutissimè poterit, instituat, ac perficiat.

PRIMUM igitur ubi membrana circà Ani principium hæret, lanceolâ per tæniolam firmatâ, ibi discindendum est, ubi pellucens mæconium dissecare jubet. Illa porrò incisio variè à variis perficitur: longitudinalem simplicem alii (c), crucialem alii præferunt (d), circularem, quâ in omni ambitu membrana scinditur, jubet M. Levret (e). Omnes illæ utiles; at in singulis obturationum speciebus plùs minusvè congruunt. Simplex quidem & recta sufficit, ubi membrana claudens Anum te-

(a) L'Art des Accouchemens. §. 1275. pag. 216.

(b) Van-swieten, tom. 4, p. 577.

(c) Ut feliciter tentavit in binis infantibus Lamotte, Traité des Accouch; Liv. 1. Obl. 86. pag. 129.

(d) Heisterus, tom. 2.

(e) L'Art des Accouch.

nuissima vix resistit, illam feliciter tentavit in binis infantibus Celeberrimus *Lamotte*. Sufficit etiam ubi in altiori loco adhæret intestini recti; tunc autem pharyngotomo secatur, ita ut immisso in Anum digito, apertura facta dilatari queat (a). In eodem priore casu evidenter patet crucialem incisionem, sicut & integram membranæ per circularem ablationem æquè proficere, Chirurgum que ad arbitrium agere posse.

QUANDO autem membrana spissior est, quàm ut ab erumpentibus fœcibus satis diffringi queat, tunc crucialis, vel circularis abscisio sola jure celebranda videtur.

Si tendineus solum modò funiculus offendatur, intestinumvè omninò desit, nullo vestigio Ani apparente, res momentosa, loci que ad operationem difficilis determinatio. Ne vergas nimium versùs coccyndicem: Anus namque in recens natis remotior est à coxâ, quàm in adultis. Musculi sphincteris circumferentia investiganda est: per resistentiam rectis cujusdam duritiei similem cognoscitur. Medium transfigas. Hæc erit instrumenti forma, operationisque methodus, utraque à Clarissimo nostro *Petito* excogitata. * Instrumentum, clavus triangularis. Aliis est brevior & crassior, facies & anguli longiores desinunt in cuspidem acutiorem. Cannulam habet quindecim aut circiter lineis longam, ex utrâque laterali parte fissam, terminatamque alâ in diametro suo scissâ à centro usquè ad duas circumferentiæ lineas. Omnibus ad operationem præmissis, clavus triangularis in medium sphincteris jam designatum immittitur, rectum adit; si datur vacuum in extremitate, tunc extrahendus est stilus, cannulaque in intestino servanda: unde stercus fluens operationem ritè confectam esse, demonstrabit. Apertura lanceolâ per cannulæ rimam immissâ, hinc & indè amplianda est, quo peracto extrahitur tubulus, mæconioque jam facillimus exitus comparatur.

ANCEPS sanè dubiumque maximè est illud operationis genus, nec casus illi qui in Academiâ Chirurgicâ habentur, ad explorandos hujus operationis successus, felicem eventum habuerunt. Multò tamen minus ab operatione sperandum est, ubi rectum intestinum in duas partes dividitur, divisumque clauditur; præter quàm quòd enim tale malum non nisi post mortem cognosci posse certum est, evidenter patet, ait Clarissimus

(a) *M. Petit*, Acad. Chirurg. T. I. p. 385.

* Acad. de Chirurg. to, I, p. 377.

7

Vanswieten, * illud licet cognitum foret, vix ullam emendationis spem superesse. Quis enim, inquit, auderet abdomen vivi infantis aperire, extrema intestini quærere, inventa aperire, apertum sibi mutuo unire, vel saltem extremum superius intestini, apertum prius, vulnere abdominis unire sic, ut Anus artificialis in loco vulneris per totam vitam maneret? esto igitur Chirurgo satis ea distinguere quæ per artem emendari nullatenus possunt, modo in iis quæ medelam requirunt suscipiunt que, ratione ductus, celebriorumque monitis & exemplis firmus, singula noverit applicare, quorum deinceps adhibitorum non possit ipsum pœnitere.

POSTQUAM priori indicationi satis factum est, turundas siccas alii, alii suppurante quodam inunctas medicamine (a) ad mali prophylaxim adhibere consueverunt; verum cum Celeberrimo *Lamotte*, & *M. Levret* talia & nos media procul abjicimus; quippè quæ longè nocentiora quàm utilia simul arbitramur. Frequentes, quibus obnoxii sunt infantuli, alvi dejectiones, potenter impediunt quominus unquam in posterum Anus occludatur.

* *Commentaria Vanswieten*, t. 4. p. 577.

(a) *Palfin Anatom. Chirurgicæ*, tom. 2, p. 85.

Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside M. FRANCISCO GUILLELMO LEVACHER, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, Academiae Chirurgiæ Socio, necnon Scholarum Chirurgiæ Practicarum Directore, tueri conabitur, HENRICUS LUDOVICUS FRANCISCUS DIDIER, Parisinus, Artium Liberalium, in almâ universitate Parisiensi, Magister; necnon nuper exercituum castrorumque primarii Chirurgi Coadjutor, Theses Autor.

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,
Die Sabbati 14^a, Septembris à sesqui-secundâ post meridiem
ad septimam, Anno R. S. H. 1765.
P R O A C T U P U B L I C O
E T
M A G I S T E R I I L A U R E A.

Typis P. AL. LE P R I E U R, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

